



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Distinctio trigesimasexta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](#)

### Magistri Durandi de

AD Primum argu. patet responso ex iam dictis, procedit enim de vita actiua qua ordinat ad diffundendum bonitatem in alios. Talis enim est bonum gentis, non autem vita actiua singularis per quam homo solum bene disponitur in seipso moderando proprias passiones, & regulando proprias actiones.

20 Ad secundum argumentum patet per idem.

21 Ad tertium argu. dicendum est quod vita contemplativa non dimittitur propter actiua singularia quando religiosus efficit praelatus, sed propter actiua quae est aliorum regitua & intructio sicut est de vita quam requiri status praelatorii, & ideo talis actiua est melior quam simplex contemplativa, nec tamen propter talen vita actiua dimittitur contemplativa, immo viuens secundum hanc vitam debet esse perfectus in seipso quantum ad vitam contemplatiuam & actiua singularia, licet oporteat eum quandog intermittere actum contemplationis propter necessitates regiminis aliorum.

*20. q. 2.  
bnuis.*

22 A Rgumentum etiam illud non bene procedit quia magis bonus minus necessarium est dimittendum propter minus bonus magis necessarium sicut philosophari cum sit melius quam ditari, tamen a paupere & egente vita dimittendum est philosophari propter ditari. Et per hunc modum vita contemplativa quamvis nobilior debet omitti propter necessitas vita actiua etiam singularia.

23 AVCToritas Domini Luc. 10. vbi praefertur vita contemplativa Marie vite actiua ipsius Mat. loquitur de vita actiua & contemplativa singulari.

### QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum vita actiua sit maioris meriti quam contemplativa.

*Tho. 2. 2. 4. 182. 47. 2.*

**A**D Tertiū sic procedit. Et videtur quod vita actiua sit maioris meriti quam contemplativa, quia secundum Grego. super Ezech. Nullum sacrificium est magis Deo acceptum quam zelus animarum. Sed operatio vita actiua per quam aliquis studet salutem proximorum magis pertinet ad zelum animarum quam opera vita contemplativa, ergo ipsa sunt Deo magis accepta quare & magis meritoria.

2 Item illud est magis meritorum cui maior debetur merces, quia meritum correspondet premio & econtra. Sed vita actiua debetur maior merces quam contemplativa, ergo &c. Probatio minoris, quia labori commensuratur merces secundum illud. i. ad Cor. 3. Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Sed in operibus vita actiua est maior labor quam in operibus contemplativa vita, quare &c.

3 IN CONTRARIUM est quod dicit Greg. & Moral. magna sunt vita actiua merita, sed contemplativa potiora.

*27. q. 2.  
demerito.*

*19. 3. d. 20.*

*q. 2.*

*2. d. 42. q. 2.*

*le remun-  
ratione.*

4 R E S P O N S I O. Sicut dictum fuit in 2. lib. meritem propriè dictum non est inter hominem & Deum sicut nec iustum propriè acceptum, Deus tamen ex liberalitate sua remunerat nostra bona opera, tam interiora quam exteriora. Ad rationem tamen meriti magis accedit opus per quod aliud videtur redundare ab homine in Deum quam aliud opus quantumcum sit bonum in se ut ibidem declaratum fuit dict. 42. Hoc supposito dicendum est quod vita actiua per quam homo bonus in se existens niterit bonitatem in alios diffundere est maioris meriti, quam vita contemplativa vel actiua singularis. Quod patet, quia illa opera apud Deum sunt magis meritoria, per quae plus redundat ab homine in Deum, quod cedit aliquo modo in bonum diuinum. Et haec supponitur ex dictis in 2. lib. Sed per opera vita actiua, per quam homo in se bonus existens niterit bonitatē in alios diffundere, qualis est vita prælatorii plus redundare in Deum, quod cedit aliquo modo in bonum diuinum quam per quæcumque alia opera, ergo opera talis vita actiua sunt maxime meritoria. Minor probatur, quia ad talen vita actiua pertinet docere fidem, & eam cum opus fuerit defendere non soli verbo sed facto, subundo martyrium pro defensione fidei & gregis: pertinet etiam ad eam instruere populum de mandatis diuinis, & obseruantia eorum, & haec aliquo modo cedunt in bonum diuinum non quod Deum in seipso, qui bonos

### Sancto Porciano

rum nostrorum non indigeret, sed secundum illam interpretationem, qua dicitur quod defensio causa alicuius, cedit in bonum illius cuius est causa, sic enim fides Christi defenditur per prædicationem, & per martyrium que pertinent ad talen vitam actiua: per nulla autem opera vita cōtempatiū vel actiua singularis cedit aliquid sic in bonum diuinum, quare &c.

5 Si autem coparetur vita contemplativa ad vitam actiua singularia. Sic dicendum est quod duplex meritum est, quod respectu dimissione penitentie. Aliud respectu consecutionis gloriae. Primo modo actiua est maioris meriti, quam contemplativa. Cuius ratio est, quia pena per penitentiam compensatur. Sed vita actiua est penitentia quam contemplativa. Ergo per opera eius plus recompensatur de pena nobis debita, quam per opera contemplativa. Minor probatur, quia opera actiua consistunt in moderatione passionum per ieiunia & abstinentias, & similia quaeque penitentia sunt. Item in operibus misericordiae, vestiendo nudos, visitando infirmos, palcedo famelicos & consimilibus que requirunt sumptus & penitentia, à quibus omnibus vita contemplativa libera est, & nihilominus habet dulcedinem adiunctam, quare &c.

6 Respectu autem consecutionis gloriae vita contemplativa est maioris meriti quam actiua, quantum est ex genere sui actus. Cuius ratio est, quia meritum ex charitate perfatur: fed diligere deum secundum se ex charitate est magis meritorium, quam diligere proximum propter Deum: ergo illud quod directius pertinet ad dilectionem dei, magis est meritorium ex suo genere quam illud quod pertinet ad dilectionem proximi etiam propter deum. Vita autem contemplativa directe & immediata pertinet ad dilectionem dei, vita autem actiua ad dilectionem proximi, ergo ex suo genere vita contemplativa est maioris meriti quam actiua. Potest ratiōne contingere ex parte hominis quod aliquis in operibus vita actiua plus meretur quam alius in operibus vita contemplativa, puta si aliquis tepidè inficit operibus contemplatiue. Alius autem feruerit inficere operibus actiua propter deum, ita quod propter abundantiam diuini amoris, ut eius voluntas implatur propter gloriam dei interdum sufficit à dulcedine diuinæ contemplationis ad tempus separari.

7 Ad primū arg. dicendum quod zelus animarum pertinet ex officio ad vitam actiua prælatoriorum, que est per se actiua quam vita contemplativa, & maioris meriti. Ad vitam autem actiua singulari non pertinet ex zelo claritatis, per quem vinculū manatur Deus de proximo suo non praefert propter hoc meritū vita actiua merito vita contemplativa. Sed praefertur quod meritum zelus animarum omni sacrificio, & omni dono exteriori rerum, cum enim ex charitate quilibet plus teneatur se diligere quam alium, magis acceptum est Deo quod aliquis primo ipse Deo animam suam offerat, per opera contemplativa quam animam alterius per opera vita actiua, sed vtrumque simili est Deo acceptabilis.

8 Ad aliud patet responso ex iam dictis. Major enim merces debetur operibus vita actiua quam contemplatiue, quantum ad dimissionem penitentie, sed non quantum ad consecutionem gloriae, quoniam est de genere actus utriusque vita. Eodem modo est intelligenda autoritas beati Greg. & Moral. in oppositum allegata.

Sententia huius distinctionis. XXVI.

in generali & speciali.

**S**icut etiam queri, vtrum virtutes. Prius egit Magister de habitibus virtutum & donorum. Hic agit de connectione eorum. Et dividitur in tres, quia primo ostendit virtutum connexionem. Et secundo eorum aequalitatem ibi, vtrum pariter. Tercio ostendit charitatis excellentiam speciale ibi, cum duo sint precepta. Secunda dividitur in duas partes. Primo ponit opinionem unam. Et secundo ponit aliam, quam reputat magis veram, & respondet ad rationem primæ opinionis. Secunda ibi, alii verius dantur. Haec est divisione & sententia generaliter.

2 IN Speciali sic procedit. Ex primo querit vtrum virtutes sint adeo connexæ, quod separari non possint, sed qui habeat unam, habeat omnes. Ex respondet secundum Hiero.

Hieron. & sic, quia caritas est mater omnium virtutum. Et ideo in quoconque est caritas, in eo sunt omnes virtutes, & ubi non est caritas, nulla virtus est, quod iterum confirmat per Aug. ut patet in litera. Secundum querit, utrum omnes virtutes sint aequales. Et ponit opinionem quorundam dicentium quod non, quia quidam sancti commendant excellenter ab una virtute, & non ab aliis, sicut Job commendatur a patientia, David ab humilitate, Moyles a mansuetudine, quod non esset si ille qui excellit in una virtute, excelleret in omnibus. Unde dicunt quod una virtus habetur excellentius, & alia, nulla tamen aequaliter sicut caritas, quae est mater omnium. Tunc ponit aliam opinionem quod dicit veriorum, & omnes virtutes sunt pares, sic tamen intelligendo, quod excellit alium in una virtute vel est ei par, simili modo se habet ad deum in ceteris virtutibus, vt si aliquis sit aequalis alii in fortitudine, oportet quod sit aequalis in prudenter, alioquin fortitudo vniuersus esset minus prudens quam fortitudo alterius. & sic non esset aequalis fortitudo, & idem potest deduci in aliis virtutibus. Et respondet ad rationes primi opinionis, quia cum dicitur aliquis preuenire in aliqua virtute, vt Abraham in fide, hoc intelligitur non quantum ad habitum virtutis, sed quantum ad usum eius, vel in comparatione ad alios homines qui non aequaliter ei in aliqua virtute. Secundum hunc modum dicuntur esse intelligentia quadam verba Augi. que ponuntur in litera, per quae videtur insinuare quod una virtus perfectius habeatur & alia. Ultimum querit cum in duobus praecceptis caritatis tota lex pendeat & propheta secundum dictum Salvatoris in euangelio, qualiter praecpta ceremonialia que ceſauerunt continentur sub praecceptis caritatis quae semper durant. Et respondet quod praecpta ceremonialia in quantum fuerint figurativa, ceſauerunt, sed secundum spiritualem intellectum remanent: eis enim praecpta reducuntur ad decem, & illa decem reducitur ad duo praecpta, quae sunt dilectio Dei & proximi. In his enim continetur plenitudo legis. Et in hoc terminatur distinctio, &c.

## QUAESTIO PRIMA.

Vtrum virtutes morales sint connexae  
cum theologicis.

*Tho. 1.2. q. 6.*

Circa distinctionem istam queritur de tribus in generali. Primo de connexione virtutum, & secundo de eorum aequalitate. Circa primum primo queritur de connexione virtutum, & secundo de connexione virtutum. Adhuc circa primum istorum queritur tria. Primum est, utrum virtutes morales acquisiſt̄ sint connexae cum theologicis. Secundum est, utrum virtutes morales sint connexae intellectuibus. Tertium est, utrum virtutes morales sint connexae sibi inuicem. Ad primum sic proceditur. Et videtur quod virtutes morales acquisiſt̄ sint connexae cum theologicis. Quia virtutes illae sunt connexae, quarum una non potest esse sine alia. Sed virtutes morales acquisiſt̄ non possunt esse sine theologicis, nec theologicis sine illis: ergo omnes istae sunt ad inuicem connexae. Maior de se patet, sed minor probatur, quod duas eius partes. Et primo quod theologicas (& maxime caritas) non possint haberi sine moralibus, quia tota lex per charitatem impletur, secundum illud Ro. 13. Plenitudo legis est dilectio, sed lex non potest impetrari sine actibus virtutum moralium. De illis enim dantur praecpta legis, actus autem praefuppontur habitus, ergo necesse est quod caritas coexigat habitus virtutum moralium.

2. Item patet quoad secundum, scilicet quod virtutes morales coexigunt charitatem, quia ea quae sunt ad finem habent connexionem cum fine, cum ex eo sumant rationem. Sed virtutes morales, & actus, & obiecta, & fines earum ordinantur ad finem charitatis, ergo coexigunt charitatem.

3. IN CONTRARIO Margurit, primo quod caritas posuit haberi sine virtutibus moralibus. Et hoc sic, habens habitum virtutis moralis operatur prompte, & faciliter secundum illum habitum, presentatio sibi obiecto. Sed habens charitatem presentato sibi obiecto virtutum moralium non operatur prompte & faciliter, vt patet in illis qui ex cōfuetudine malorum actuum de novo conuertuntur ad Deum, & tamen tales habent charitatem, quare &c.

4. Item probatur quod alias virtutes possint esse finis charitatis, quia virtutes morales acquisiſt̄ non amittuntur per vinculum actum, sicut per vinculum actum non acquiruntur, sed habens charitatem, amittit eam per vinculum actum virtutis summa, ergo ea amissae remanent virtutes morales. Et sic necessario non coexigunt charitatem.

5. RESPONSO. Ad euidētiam huius quaestionis & sequentium, videndum est primo quod modis virtutes sint ad inuicem connexae. Postea deducendum est in singulis modis quomodo se habent virtutes theologicas ad morales, & econverso.

6. Quantum ad primū sciendum est quod duplex est modulus connexionis in generali, scilicet essentialis & dispositivus, essentialis adhuc duplex est. Primus est, secundum quem una virtus dependet ex alia, quantum ad id quod est in sua quidditate & essentia, sicut omnis virtus moralis acquisiſt̄ dependet a prudenter & econverso. Secundus est, cum aliqua connectuntur inter se, & non immediate, sed mediante tertio, quod est connexum cum virtutis, & sic virtutes morales connectuntur inter se mediante tertio, scilicet prudenter, ut patet inferius. Alter modo aliqua connectuntur dispositivis, quae quidem dispositio attenditur in quantum subiectum per unum eorum disponitur ad medium se habendum in altero, vel in actu alterius. Et istud quantum ad virtutes contingit duplicitate. Vnde modo, quia subiectum dispositiū per unam virtutem potest magis per feit & magis pure elicere actu alterius, & potest facere fine ea. Et si virtutes morales disponuntur ad virtutes intellectuales, quia homo bene dispositus per virtutes morales qui sedant motus passionum purius, & perfectius possunt in actu virtutum intellectualium. Alter modo attenditur ista dispositio, secundum quod una virtus magis firmatur, & magis resistit actu fibi contrario per hoc quod coniungitur aliis virtutis, sicut temperantia cum fortitudine, ne magis firmatur ad resistendum actu intemperato quod est ne fortitudine. Temperatus enim & fortis magis disponuntur ut per timorem terribilium non committat dictum tunc per intemperatum, quam si non haberet fortitudinem: & sic patet primum.

7. Quantum ad secundū dicendum est quod virtutes morales non dependent a theologicis primo modo, quantum ad essentiam suam & quidditatem, quia sine eis vere possint haberi. Et hoc patet duplicitate. Primo sicut se habent status ad inuicem, ita & perfectiones illis statibus conuenientes. Sed status naturae potest esse sine statu gratiae, & status gratiae sine statu gloriae, ergo perfectiones illius statibus conuenientes possunt esse sine inuicem, sed perfectio naturalis ad quam potest homo attingere ex naturalibus est virtus moralis acquisiſt̄, ergo homo potest habere virtutes morales acquisiſt̄ sine theologicis pertinentibus ad statum vitæ, viæ seu patris. Et confirmatur, quia secundum doctores primus homo potuit creari sine gratia in puris naturalibus, in quo statu potuit habere virtutes morales per eas, quāvis non potest in actu mortali vitæ attingere. Secundo patet idem sic ratione, homo qui potest prompte & faciliter tendere in obiectum conueniens potentia tam intellectus & appetitus est vere virtuosus secundum virtutem, tam intellectuales & morales. Sed sine charitate ex puris naturalibus potest hic homo tendere perfecte & prompte in obiectum conueniens potentia intellectus & appetitus, ergo talis est vere virtuosus quantum ad virtutes acquisiſt̄. Maior patet ex. Ethi. vbi dicitur quod virtus habentem perficit, & quod si genui habitus generati est fieri in opere delectationem, per quam homo prompte & faciliter operatur. Minor probatur, quia obiectum conueniens intellectui humano secundum praesentem statum est veritas rerum sensibilium & quae ex sensibilibus potest concludi. In hanc autem vel in eius cognitionem potest homo sine charitate, ut de se patet, quia habens ralem cognitionem non amittit eam per culpam per quam tantum amittere charitatem. Obiectum vero virtutis moralis est bonum ex genere, & circumstantiis ordinatum ad debitum finem, & constat quod in tale bonum potest appetitus redire sine charitate, vt si aliquis det sustentationem alicui indigentem studenti inquisitioni veritatis, ergo sine virtutibus theologicis, & maxime sine charitate potest homo tendere

propter

### Magistri Durandi de

prompte & perfecte in obiectum conueniens virtuti intellectuæ & appetituæ, hoc autem non est nisi virtutes acquisitæ, tam intellectualæ & morales possint esse sine theologia, & maximè sine charitate, quare &c.

8 Sed dicet aliquis quod nullus actus appetituæ partis est bonus & virtuosus nisi ordinetur in finem ultimum quem respicit charitas, & sic nullus poterit tendere virtutem in bonum morale, sine charitate. Sed istud non valet, quia si istud totū scilicet bonum opus ex genere cum fine proximo non esset opus virtuosum, nisi includendo charitatem finem, puta quod hoc totum faciat propter vitam eternam. Tunc sic se habetur actus ex genere cum suo fine proximo ad finem quæ principaliter intendit charitas, sicut bonum opus ex genere, pura dare pauperi se habet ad finem proximum. Sed ita est quod bonum opus ex genere non habet aliquam specialem virtutem à qua elicatur præter illam quæ respicit finem proximum, ergo similiter totū opus ex genere cum fine suo proximo non habetur aliquam aliam virtutem à charitate à qua elicetur, quod falsum, quia tunc sequetur quod non est aliqua virtus alia quam charitas, ergo opus bonum ex genere includens finem cōuenientem proximum ex hoc est virtuosum. Et hoc ut dictum est potest esse fine charitate, quare &c. Itē virtuosum est attingere ad bonum sibi conueniens secundum suā naturā. Sed bonum conueniens homini secundum quod est homo, est operari secundum rectam rationem, cuius rectitudine potest esse sine charitate, quanti ad cognoscibilia & agibilita naturaliter, ergo vera virtus acquisita potest esse in homine sine charitate. Sic ergo patet quod virtutes acquisitæ non sunt connexæ cū theologicis primo modo sic, scilicet quod essentia vnius dependeat necessario ex essentia alterius.

§. 3. q. 1. l. u.

9 Itē nec secundo modo, scilicet per connexionē earum in uno tertio, quia præter virtutes acquisitæ & theologicas non sunt alii habitus nisi dona. Sed ratione donorum non potest est per connexionē virtutis acquisitæ cum theologicis, nec econuerso, ergo virtutes acquisitæ non cōneuntur cum theologicis mediante tertio. Quod autem per donationem non possint connecti virtutes acquisitæ cum theologicis patet, quia per easdem rationes, per quas probatur est quod virtutes acquisitæ non necessario dependent à theologicis potest probari quod non dependent à donis, ergo ratione donationum non habent cum aliquo connexionem.

10 Quantum vero ad tertium modum principalem, scilicet quo virtutes aliquæ connectitur seu exiguntur de se propriae. Dicendum est quod virtutes morales acquisitæ & virtutes theologicæ sunt ad inuicem cōnexæ, sed differenter, quia virtutes theologicæ exigunt morales acquisitæ ut prius & feruentur elicere actum suum, quia illi in quibus non sunt sedatae passiones appetitus sensitivi (quod fit per virtutes morales) non possunt ita pure tendere in cognitionem diuinæ veritatis, nec ita feruentur tendere in dilectionem diuinæ bonitatis sicut in eis essent passiones fedatae, quia quanto vna potentia est intensius intenta circa operationem suam, tanto magis alia potentia retrahitur à sua operatione nisi vna operatio tendat in idem cum alia, vel iuuet dispositiuæ ad aliam, sed quantum ad firmatatem in operando, & ad perfectius resistendū omni actui vitio. virtutes morales exigunt charitatem. Charitas enim quindiu manet, excludit omne peccatum mortale & per consequens omnē actum vitiosum in quo posset tale peccatum contingere. De ratione autem virtutis acquisitæ non est excludere omnē actū vitiosum etiā in manente virtute. Sed solū facere quod homo regulariter & cōmuniter resistat actui vitio. Et ideo aliquis qui per grauem motū timoris, vel alterius passionis cadet, in peccato intemperantie vel alterius generis non obstante virtute morali, per charitatem firmiter ita & repellit omne peccatum. Et sic patet quomodo virtutes morales acquisitæ & theologicæ coexistunt se dispositivæ.

11 Ad primum argumentum dicendum quod quanvis charitas imperit actus omnium virtutum moralium, non oportet tamē quod illi actus procedant ab habitibus acquisitæ, & nihilominus per actus tales lex impletur quae solum precepit actus quoad essentiam actus & non quoad modum qui est faciliter & delectabiliter operari quemadmodum ponunt habitus acquisiti. Quod dicitur postea quod ea quae sunt ad finem dependent à fine verum est, sed obiectum

### Sancto Porciano

charitatis non est finis proximus virtutum moralium, sed solum remotus, & ideo actus virtutum moralium potest esse bonus honestate moralis ex ordine ad finem proximum dato quod actus non ordinetur ad finem ultimum quanvis non possit habere honestatem inheritoriam ad quod requirit ordinatio eius in finem charitatis.

12 Aliud arg. probat quod virtutes morales non dependent quoad essentiam suam à theologicis, nec econuerso, quod est concessum.

### Q. V A E S T I O S E C U N D A.

Vtrum virtutes morales habeant connexionem cum intellectualibus.

13 Ecundo queritur vtrum virtutes morales habeant connexionem cum intellectualibus & econuerso. Et talis gatur quod sic, quia sicut se habet appetere & cognoscere, sic se habet virtus per se appetitum ad virtutem pericipientem intellectum. Sed appetere ex necessitate presupponit intelligere, ergo virtutes morales quæ per se appetitum supponunt ex necessitate virtutes intellectualibus quæ per se appetunt intellectum.

14 Item probatur quod virtutes intellectualæ coexistant morales, quia sine illo non potest haberi virtus intellectualis, & sed facta passiones in virtibus sensibilibus, sed virtutes morales sunt huiusmodi, ergo &c. Maior patet, quia sedens & quiete habet anima prudens & sapientis ut dicitur 7. Physic.

15 IN CONTRARIUM arguitur, quia illi habitus non sunt connexi quorum vnius actus potest itare cū actu opposito alterius. Sed actus prudentia quæ inter virtutes intellectuales magis est cōnexa cum moralibus potest stare cū electione mala quæ est actus oppositus actui virtutis moralis &c. Maior patet, minor probatur per articulus qui dicit quod stante ratione recta in vniuersali & particuli quod voluntas non posit in oppositum error est, non posset autem in oppositum nisi praevele eliciens ergo &c.

16 RE S P O N S I O. Dicendum quod virtutes intellectualæ tam scientia speculative & artes non habent essentiam connexionis cum virtutibus moralibus primo modo cōnexio, prudenter tamē cū eis habet talē connexionem & econuerso. Patet primum sic illi quæ sic se habet quod facta mutatione in essentia vnius nulla fit mutatio in essentia alterius non dependent ex se inuicem essentialiter, nec per consequens sunt essentialiter connexæ, sed ita est de virtutibus moralibus & intellectualibus quæ sunt scientia speculative, vel artes, ergo illæ virtutes non dependent ex se inuicem nec sunt essentialiter connexæ. Maior patet, minor probatur, quia mutato aliquo secundum iram vel cōcupiscentiam (qua mutatione pertinet ad virtutem moralis) non oportet quod mutetur in iudicando quo modo dominus debet fieri vel aliquod actus, nec iudicando an triagulus habeat tres angulos æquales duobus rectis que iudicia pertinent ad artes & scientias speculativas, ergo facta mutatione in eo quod pertinet essentialiter ad virtutem moralis non oportet fieri mutationem in eo quod essentialiter pertinet ad virtutem intellectuam quæ est ars vel scientia speculativa. Causa autem huius est quia iudicium artis & scientiæ speculativæ in rebus factibilibus vel speculabilibus non est secundum conformitatem earum ad appetitum, sed secundum se, & prout consideratur in natura sua, mutatione autem alius secundum appetitum puta secundum iram, & concupiscentiam non facit aliquam mutationem in rebus secundum se, & secundum naturas suas, & ideo non mutat iudicium artis vel scientiæ speculativæ de talibus. Et sic patet quod artes & scientias speculativæ non habent essentiam connexionem cum virtutibus moralibus nec econuerso.

17 Prudenter tamē hoc modo dependet à virtute moralis, & virtus moralis ab ipsa. De dependentia autem prudenter à virtute moralis patet sic, quia ab illo dependet virtus prudenter essentialiter à quo dependet recta existimatio futuri principiorū. Sed à virtute moralis, vel ab aliquo ad genus virtutis moralis pertinente dependet recta existimatio de principiis prudenter, ergo &c. Maior patet, sed mihi probatur,

Th. 1. 1. 4  
65. 67. 1. 6  
9. 66. 67. 3  
2. 2. 6. 41  
67. 6

tur, quia principium ex quo syllogisat, prudentia est recta estimatio finis, habita enim recta estimatio de fine pura & bono est temperate concupiscere incipit prudentia syllogisare ex isto principio per quod media posit in hunc finem astringere, recta autem estimatio de fine accipitur secundum conformitatem ad appetitum seu inclinationem appetitus in fine quam conformitatem seu inclinationem facit virtus moralis, huc aliquid ad genus eius pertinet, quia talis est vniuersitatis secundum appetitum talis finis sibi videatur ut dicitur in Ethic. libro, ergo recta estimatio prudentia est finis principis que sunt ipsi fines dependet a virtute moralis & hec fuit minor, sequitur ergo conclusio, s. quod prudentia essentia liter dependet a virtute moralis. Similiter virtus moralis dependet essentia liter a prudentia, & patet sic, electio eorum que sunt ad finem dependet ex conditione, quia electio est acceptatio aliquius praconsilarii, sed electio pertinet ad virtutem moralis, cōsilia autem est opus prudentia inquisitio de his que sunt ad finem & syllogisatio nis de his que fini cōgruant, ergo virtus moralis quantum ad electionem eorum que sunt ad finem dependet ex prudentia, & sic patet quomodo prudentia & moralis virtus sunt ad inuicem essentia liter connexae.

Si autem loquamur de secundo modo connexionis sic dicendum est quod virtutes intellectuales non sunt connexae cum moralibus, nec economo mediante tercia virtute, quia praeer virtutes acquisitas intellectuales & morales non sunt alii habitus nisi virtutes theologicae & dona, sed in illis vel ratione eorum predicitur virtutes non possunt habere connexionem, quia cum illis necessariam habent connexionem, ergo &c.

De tertio vero modo connexionis scilicet quo virtus coegerit aliam dispositiū tenendum est quod virtutes morales connexae sunt cum intellectuālibus, sed differenter, quia intellectuales dependent a moralibus ad hoc ut prius & perfectius exerceant actum suum. Cuius ratio est, quia omnis virtus intellectuālis dependet quantum ad primitudinem suā actū ex bona dispositione phantasie, & ex eius sedatione. Hoc autem faciunt virtutes morales quae moderantur passiones quarum excessus impedit bona dispositiōnem, & sedationem phantasie, ergo virtutes intellectuales dependent hoc modo a moralibus, sed quantum ad maiorem firmitatem, & perfectionem morales dependet ab intellectuālibus. Cuius ratio est, quia qui melius nouit naturas rerū melius scit utilitatē rerum & maxime virtutum carnalium, melius etiam scit excellētiam & eminentiam boni honesti, sed bonum perfectius & certius cognitum natum est perfectius & certius mouere appetitum ad prosecutionem, malam autem ad fugā & detestationem, ergo cū per virtutes intellectuales melius & certius sciuntur naturā rerū & per consequens eminentia boni honesti & utilitas vitorum, patet quia ipse disponunt ad hoc ut per virtutes morales firmius & perfectius prosequamur bonum virtutis quod est bonū honestū, & fugiatur vilitas vitorum.

Ad primum arg. dicendum quod appetere bonum dependet essentia liter ex cognitione intellectuālē practici que pertinet ad prudentiam. Et ideo virtutes morales dependent essentia liter a prudentia. Sed appetitus boni non dependent a cognitione speculativa, nisi a remotis & dispostiū. Et hoc modo dependent virtutes a scientiis speculatiis.

Secundum arg. solum probat quod virtutes intellectuāles non dependeant a moralibus nisi solum dispositiōnem inquantum bona dispositio fantasmatis fit per sedationē excessus passionum.

Ad argumentum autem alterius partis quod videatur probare quod virtutes morales non dependeant a prudentia potest dici sine praedictio articuli quod stante iudicio rationis in vniuersali & particulari de aliquo eligendo non quidem secundum actum, sed secundum habitum voluntatis potest in oppositum secundum actum, vel stante iudicio rationis secundum actum vniuersali & particulari voluntas secundum actum pro tunc positi ferri in oppositum non video bene.

QVÆSTIO TERTIA.  
Vtrum virtutes morales sint inter se connexae.

Tho. I. 2. q. 65. art. 1.

**T**erio queritur, vtrum virtutes morales sint inter se connexae. Et video quod non, quia sicut se habent ad inuicem virtutes intellectuāles, ita & morales. Sed virtutes intellectuāles non sunt ad inuicem connexae, nō enim qui habet vnam sc̄ientiā, habet omnes, ergo video vtrum virtutes morales non sunt connexae ad inuicem.

2. Itē virtutes morales caulfantur ex exercitio actuum ut probatur a. Ethic. Sed aliquis potest exercitari in actibus vniū virtutis & nō in actibus alterius, ergo aliquis potest habere vnam virtutem moralē sine aliā.

3. IN CONTRARIUM est Arift. s. Ethic. & Aug. qui dicit quod virtutes in anima nō possint separari ab inuicem, quare &c.

4. RESPONSO. Supposita distinctione de connectione virtutum prius posita dicendum est, quod virtutes morales nullam habent essentia liter connectionē seu dependentiam quoad primū modum qui superius ponebatur, quia accipiendō virtutem moralē sive secundū esse perfectum sive imperfectum, vna nō depēdet ab alia immediate & essentia liter. Cuius ratio est, quia illae virtutes que habent obiecta diversa in nullo a se dependentia, & diuerlos fines particulares & proprios qui dant specie vir tū, & a cuius eius nō videtur esse connexae essentia liter & immediate. Sed virtutes morales sicut liberalitas, temeraria, & fortitudo, & alię sunt huicmodi, habent enim diuerla obiecta non connexa directe & essentia liter. Et diuerlos fines proprios, ergo tales virtutes non sunt ad inuicem connexae essentia liter & directe.

5. Loquendo autē de secundo modo connexionis que est aliquorum plurium in tertio, Dicendum est quod virtutes connectuntur in se ratione prudentiae cui omnes virtutes morales sunt essentia liter connexae, nisi quod distinguendum est de virtute moralē. Et similiter de prudētia lecundum esse perfectum & imperfectum. Virtus enim moralis secundum esse perfectum nō potest esse sine alia virtute moralē, ratione prudentiae perfectae que coegerit omnem virtutē moralē, & sine qua nulla virtus moralis est perfecta, vnde potest sic argui, Omnis virtus si perfecta requirit prudentiā perfectam, sed prudentia perfecta requiri omnem virtutem moralē perfectā, ergo vna virtus moralis perfecta coegerit aliam. Maior patet ex dictis in praecedenti questione, quia si virtus moralis coegerit prudētiam, & eccl̄sio & perfecta virtus moralis coegerit prudētiam perfectam & econtra eō. Minor probatur per idem, quia si prudētia coegerit virtutē moralē, perfecta prudētia coegerit omnem virtutem moralē perfectam. Hac autē ratio satis concludit, nisi diceretur quod non est vna prudētia sed diuerla que correspōndent diuerla virtutib⁹ moralibus, quia si vna virtus possit esse perfecta cum prudētia sibi correspōdente abīcēt hoc quod alia virtus moralis est perfecta vel prudētia sibi correspōndens. Sed probatio quod sit vna prudētia tantum correspōdens omnib⁹ virtutibus. Et hoc sic, ille habitus cui correspōdet obiectum vnum sub vna formalī ratione est vnum specie, sed prudētia cuiuscumq; virtuti correspōndens habet vnum obiectū sub vna formalī ratione, ergo est vna habitus. Maior patet. Minor probatur, quia per se obiectum prudētiae est bonum humānū secundum quod humānum, illud autē est vnius rationis in generali circa quam cuncti materiam irā, timoris, vel concupiscentiā, seu cuiuscumq; alterius, quare &c. Secundo sic, sicut est de fanitate corporali ita est de spirituali que est per virtutes. Sed vna est medicina de sanitate corporis hominis secundum quod homo est quantum ad omnes partes, & omnes infirmitates in singulis partibus contingentes, vel possibili bus contingere, ergo à simili est vna prudētia que est dīrectiā, respectu sanitatis spiritualis que est per virtutes morales secundum qualibet passionem irā, & concupiscentiā, timoris, & huicmodi, ergo &c.

6. Loquendo autē de tertio modo connexionis secundū quod vna virtus administratiū & dispositiū facit ad alterā. Sic adhuc virtutes morales secundum suum esse perfectū

**MAGISTRI DURANDI DE**  
fectum mutuo se exigunt, & maximè illæ quarum frequenter materia occurrit ut Temperantia, Fortitudo, Iustitia, Liberalitas de quibus forte specialius intelligi. Philosophus illud quod dicit de connexione virtutum. Cuius ratio est, quia habitus qui non potest æquè firmiter resistere contrario actui sine actu alterius dependet quam ad suum perfectum esse & suum perfectum operari sicut administratio latius & dispositio ab illa alia virtute. Sed quilibet virtus moralis & maxime illæ quarum materia saepius occurrunt sunt huiusmodi, ergo dependent ad se inuenient secundum suum perfectum esse administratiue seu dispositiue. Maior de se patet, minor probatur, quia si aliquis esset liberalis & non temperatus, facilis ageret contra liberalitatem qd si esset temperatus, quia interperatus volens exercere actum intemperantis necessitatis est qd quandoque det cui non oportet, puta meretrici. Et quia tales velociter deserit substantialia huius mundi necesse est ad explendum actus intemperantis qd quandoque accipiant unde non oportet per furtum, rapinam, vel alio modo illicito. Si autem sit liberalis simul & temperatus propter actum intemperantis exercendum non ageret aliquid contra liberalitatem, sed virtus qd vitabit, igitur &c.

7 Quod si aliquis dicat qd unus habitus sufficit, quia ille semper habitus qui potest per se in operatione sibi convenienter, potest etiam ex imperio omnia impediens operationem sua refrenare, nec ad hoc indiget aliquo habitu administratiue. Contra. Quia omni virtuti non conuenient per se actum alterius virtutis imperare nisi quod obiectum vnius ordinatur ad obiectum alterius ut ad finem, sicut obiectum liberalitatis ordinatur, vel ordinabile est ad obiectum charitatis, scilicet in deum sicut ad finem. Sed obiectum vnius virtutis particularis recipiens aliquod bonum particolare hominis sicut est obiectum temperantie vel liberalitatis non est finis obiecti alterius virtutis particularis recipiens aliquod bonum particolare hominis, sicut est obiectum temperantie vel liberalitatis non est finis obiecti alterius virtutis particularis, ergo una virtus particularis non habet imperare per se actum alterius virtutis. Quod si verum est, non potest æquè efficaciter imperare actum contrariantem sicut faceret cum administratio illius virtutis, pater ergo quod virtutes morales quantum ad suum esse perfectum coegerint se administratiue, seu dispositiue, & maxime illæ quarum materia frequenter occurrit. Quatum vero ad eae earum imperfectum una potest esse & acquiri sine alia.

8 Ad primum arg. dicendum quod non est simile de virtutibus intellectuibus inter se & de moralibus, quia virtutes morales habent per se connexionem cum prudenter que si sit perfecta requirit omnem virtutem moralē per se & per consequens una virtus moralis exigit aliam. Scientiae autem speculativae & quecumq; virtutes intellectuales non habent aliquod tertium in quo connectantur. Quia quācum sit una superior Scientia puta Metaphysica a qua omnes aliae scientiae dependent tamen illa non dependet ab aliis. Et ideo ratione illius alias non se exigit mutuo necessario.

9 Ad secundum dicendum quod virtutum moralium quedam perficiunt hominem respectu eorum quae passim & communiter agenda occurrit sicut fortitudo, temperantia, iustitia, liberalitas, & huiusmodi, vnde oportet qd homo simili exercitetur circa materias talium virtutum. Et si quidem exercitetur circa eas bene operando acquirere habitus virtuosos respectu omnium. Si autem bene operetur circa unam materiam, non autem circa aliam non acquirere habitus perfectum virtutis circa illud circa quod bene operatur, propter defectum perfecte prudentie que non dirigit solum circa materiam virtutis vnius, sed circa materiam cuiuslibet. Et hoc modo, s. quantum ad esse perfectum & imperfectum non est inconveniens, unam virtutem esse sine alia. Alio vero sunt virtutes morales quae perficiunt hominem secundum quandam eminentem statum, ut magnificencia, ut magnanimitas. Et quia exercitum circa materiam istarum virtutum non occurrit cuilibet communiter. Ideo aliquis potest habere alias virtutes morales, etiam perfecte, dato qd non habet has virtutes quantum ad exercitum actuum propter defectum materie, habet tamen eas in habitu, vel de propinquâ dispositione

### SANCTO PORCIANO

cum secundū aliquid hæ virtutes nō differat ab aliis nisi secundum magnum & parvum, illud autem dicimus habere quod in promptu est ut habeamus secundum illud. Phys. quod parvū deest nihil vel parvum deesse videtur. Et ideo habitus alii virtutibus iste dicuntur in eis haberi.

### QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum virtus sint connexa.

Thom. I. 2. q. 73. art. 1.

**Q** Varto queritur vtrum virtus sint connexa. Et argumentatur quod sic, quia prior est homo pro statu naturæ corruptus ad virtutem qd ad virtutem secundum illud Gen. 10. Sensus & cogitatio hominis prona sunt ad malum ab adolescētia sua. Sed virtutes sunt ad inuenient connexionem ut virtus est, ergo fortiori ratione & virtus.

2 Itē lac. 2. dicitur qui offendit in vno factus est omnium reus. Sed nullus efficitur reus omnī mandatorum nisi per omnia peccata, quia nō est reatus nisi ex peccato, ergo qui habet vnum peccatum habet omnia.

3 IN CONTRARIUM est, quia vnum virtutem est alteri contrarium sicut prodigalitas illiberalitatis, sed contraria non possunt esse simili, ergo fortiori ratione nec talia virtus. Et iterum. 4 Ethic. dicitur malum si integrum fit, importabile fit & seipsum corrupit. Sed si omnia peccata essent cōnexa in quocunq; esset malitia mortalis peccati, esset integra, ergo &c.

4 RESPONSI O. Dicendum est simpliciter qd peccata ad inuenient non habent connexionem. Quod patet sic, in peccato sunt duo, scilicet auerſio a bono rationis, & conuersio ad aliquod boni apparet. Sed ratione nullus istorum possunt habere peccata connexionem, ergo nullo modo. Probatio minoris, & primo qd ratione auerſio ne peccata non habent connexionem, quia ex hoc quod aliqua recedunt ab uno non connectantur, vt patet de leuis recedētibus & procedentibus ab eodem puncto, quauis proper accessum ad vnum aliqua connegetur sicut connectuntur lineas quod concidunt ad vnum punctum. Sed auerſio qd est in peccatis est per recessum ab uno, scilicet a rectitudine rationis, ergo per hoc peccata non connectantur. Item nec ratione conuersio, quia cōversio ad distincta & separata nō est ratio connexionis, sed bona apparentia ad qd est conuersio in peccatis sunt distincta & separata ut immoderata ira, concupiscentia, & sic de aliis, ergo ratione conuersio ne peccata nō habet connexionem. Contingit tamē inter aliqua peccata connexionem inueniri ex curia obiectorum ita ut manens actus in uno necessario habeat incidere in aliud, vel resiliere a primo sicut dicit beatus Aug. qd superbus necesse habet alii inuidere iuxta modum qui fuit declaratus in. 2. lib. dist. 28. q. 3.

5 Ad primum arg. dicendum qd magis est ad propositionem nostrum qd ad oppositum, quia eo ipso quod homo prior est ad peccandum non requiruntur tot ad vnum peccatum sicut ad vnum virtutem. Et ideo non est necesse qd habens peccatum vnum habeat omnia, sicut habet vnam virtutem habeat omnes.

6 Ad secundum dicendum quod illud dictum beati Iacobis est colum intelligentem de peccata domini & non de ipsius peccatis in fe, vel de peccata sensus debita pro peccatis, quia per vnum peccatum mortale priuat quis visione dei sicut per omnia, quanvis nō mereatur tantam peccatum sensus.

### QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum omnes virtutes habeantur æqualiter.

Thom. I. 2. q. 66. art. 2.

**Q** Vinto queritur, vtrum omnes virtutes habeantur æqualiter. Et arguitur quod non, quia si omnes virtutes haberentur æqualiter tunc quicunque excederet aliquem in una virtute excederet ipsum in omnibus. Consequens est falsum, ergo & antecedens. Consequens per se patet, falsitas consequentis probatur, quia diversi sancti laudantur de virtutibus diversis tanquam in illis prementes & non in aliis, sicut Abraham commendatur de fide, Job de patientia, & sic de aliis.

2 Item ex actibus deuenimus in cognitionem habitu, sed experimento patet quod vnum homo perfectus opera-